

supellex humanò more acquisita est; unde? Ex prævìa sensuum cognitione. Fallax sæpè mater, fallacem sobolem. Sensus scilicet: ministri, qui deferunt omnia ad intellectum Regem illum communem in throno sedentem, aliquandò jussa exeqvuntur, aliquando minus fideliter, ut quotidiè experimur. Hinc in luce rerum tenui caligamus, in mediocri cœcutimus, in majori cœci sumus, in maximâ insanimus. Plura enim sunt, quæ legitimam rei cognoscendæ perceptionem impediunt, ut notum est. Quàm fallaces & deceptu faciles sensus sint, vel Epicurus suò instrumentò dioptricò, quo solem intuitus est, doceat. Hinc nihil à subtilitate alienum magis, quàm inductiones, quæ sensuum fulcramento muniuntur. Etenim aut optima, aut subtilissima, aut fallunt, aut fugiunt sensum.

§. 5. Licet verò nonnulla, quæ sensum fugiunt, sub intellectu cadant, & uti Scholæ Dd. loqvuntur, virtualiter si non formaliter, in prima rei cognitione deprehendantur; Erui tamen hæc omnia, & per ambages intelligi debent, ubi sæpè intellectus magis infert, quàm effert; plura fingit quàm invenit. Ita bovem vides ipse; bovem verò videre ex ejus actionibus judicas. Sic currere hostem, miles videt; currentem verò fugere, frustra nonnunquam concludit. Intellectus enim liberalior est, iudicioq; suo nixus, rebus à sensu perceptis nimium attribuit. Obiter verò exindè notari potest, cur tales in bello fallaciæ pro licitis habeantur. Decipit nimirum seipsum ille, qui cursum velociorem, fugam interpretatur, quæ tali vel aliò corporis situ necessariò non significatur. Vid. Grotius lib. 3. de jur. B. & P. cap. 1. n. 8.

§. 6. Quid verò nobis progredientibus fiet, qui ita in limine cespitamus? E nucem nucleum esse volumus, nucem non frangimus. Externa nos fallunt, & in formam inqvirimus. Crassæ verò sensuum fenestræ ea rerum penetralia non excipiunt. Quis audeat dicere, se comprehendere species Substantiarum? Latet nos illa exquisita cognitio. Nostinè internam aquæ, creatorum maximè obviæ, apertæ, visibilis, & translucidæ quidditatem? Vel quare liquida sit, aut humida? Certè quid illa ipsa Substantia, planè ignoramus. Tanta est infirmitas nostra, ut in plurimis cœcutiamus, plurimarumq; præstantissimarum rerum notitia destituti simus, quia formæ; (rationalem fortè excipias) compositi quæ est pars nobilior.